

1700.

1. Speckman, Joannes Stephanus: De conditione indebiti.

2. Sommermannus, Casparus Theobaldus: De vera ac genuina
jurisdictionis cameralis in Dale.

1702.

Sommermannus, C. T.: De praesentia regia.

1703.

Sommermannus, Casparus Theobaldus: De veris matricu-
m in dirimentibus causis.

1705.

Reichhelm, Friedrich Arnold: De remuneratione juris
sui tacite.

1707.

Hansmann, Wolfgangus Casparus: De dominio.

1710.

† Albertus, Wilhelmus: De jure principis circa suorum

Hartmann, Valerius Franciscus: Disputatio inens. juridica.

1713..

1. Albertus, Wilhelms: De jure principis circa puernam.
2. Fausse, Abrahamus: De deposito.
3. Tileman, Joannes Antonius: Dissertatio juridica in uny. ad legem LVII. §. mandati.

1719.

1. ^{10. bit.} Otto Sacrasius: De perpetua feminarum Tutela
= dictus Schenck
2. Tileman, Johannes Philippus: Disputatio juridica in uny. ad legem final. Cod. de erid. §. Statutari tollendo.

1721.

Pontanus, Carolus: Dissertatio juridica in uny.: qua obligationem patris docendi filiam bonis propriis instructam assertit.

1728.

1. Juring, Victorius: Quatenus iuramentum in supplementum locum habeat in causis matrimonialibus?

1728.

1^a
Pezuscher, Henricus Theodorus: De Tutuali Titulis
oratio. . . , cum ordinariam juris profectio nem
in regia Quidburgensi academia solemniter auspica-
retur.

2. Plessen, Bernardus, l. b. de: De libertate Germanica,
velut om. in Altm. Teutschen Freyheit. Quam ab
autore uisita 1729.

[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]



DISSERTATIO JURIDICA

De

VERA AC GE-
NUINA JURISDI-
CTIONIS CAMERA-
LIS INDOLE:

FAVENTE SUMMO NUMINE

SUB PRÆSIDIO

CASPARI THEODORI
SUMMERMANNI,

J. U. Doctoris & Professoris,

Die 3. Decembr. loco horisque solitis

Publica Eruditorum disquisitioni submittit

THEODORUS HENRICUS SEVERIN,
Bochemiâ - Marcanus.



DUISBURGI ad RHENUM,

Typis JOHANNIS SAS, Academiæ Typographi
Anno M. DCC.

6. 6.

P. P. Pastorius

1700. 06.
2.
465.
ev lo mrlaz
interca
misaat
vltvdi
s. eli
H. d. d. d. d.
F. d. d. d. d.
F. d. d. d. d. J.

1700. 06.
2.
465.

Quam

465



UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT

LEIPZIG

VERGLEICHENDE GRAMMATIK
DER ROMANISCHEN SPRACHEN
VON
HERRN DR. phil. JOHANNES
KOPPEL

LEIPZIG

1880

VERLAG VON
BROCKHAUS

LEIPZIG

ALLE RECHTE SIND VORRESERVIRT

DRUCKER
H. SCHULZE

LEIPZIG

UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT

LEIPZIG

UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT

LEIPZIG



SERENISSIMO AC POTENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,

D O M I N O

FRIDERICO III.

MARCHIONI

BRANDENBURGICO,

S. R. I. ARCHI-CAMERARIO,

ET PRINCIPI ELECTORI;

BORUSSIAE SUPREMO,

ET MAGDEBURGI, CLIVIAE, JULIAE, MON-
TIUM, STETINI, POMERANIAE, CASSUBIORUM,
VANDALORUM AC IN SILESIA CROSNÆ &c. &c.

D U C I:

BURGGRAVIO NORICO,

PRINCIPI HALBERSTADIENSI,
MINDENSI, CAMINENSI:

COMITI DE *Hohenzollern* / MARCÆ
ET RAVENSBERGÆ,

DOMINO RAVENSTEINII, TERRARUMQUE
Lauenburg & Bülow &c. &c.

PIO, FELICI, INCLUTO

PERENNATURAM FELICITATEM!

SERENISSIME ET POTENTISSIME

PRINCEPS
ELECTOR,

DOMINE CLEMENTISSIME,

SI unquam dubitatum est,
utrum ad TANTUM
TUUM FASTIGI-
UM, exiguis quibusdam
pagellis, accedere liceat, id ego,
pauco abhinc tempore, desiisse du-
bitari existimo, & vel exemplo
meo edocui, jam pro certo habeo.
Cùm

Cùm olim specimen quoddam inaugurale mihi esset edendum, id SERENISSIMO TUO NOMINI, PATRI PATRIÆ, ego, subditus tuus humillimus, consecrare in animum induxi. Elaboratio equidem non merebatur, ut à TANTO PRINCIPE conspiceretur, verum materia, *Paritas Religionis in Camera Imperiali observanda*, ejusque qualitas, juxta ac dignitas, impellebat me, ut, Clementissimo Tuo conspectui illam quam humillime proponere, ausus fuerim. Audaciam meam tantam non infelicitèr successisse, eventus comprobavit luculenter, dum clementissimo conatus illos meos accepisti vultu; adeò ut tandem, in Universitate hac Tua, Professore Juris Publi-

A 3

cum

cum, summâ ELECTORALI gratiâ, me constitueris, quod ingens beneficium tanta quoque exosculor recordeatione, ut vita me potius desertura sit, quàm sancta illius in me favoris memoria. Et hæc causa est, quare CLEMENTISSIMA rursus SERENITATIS TUÆ ELECTORALIS AUSPICIA, huic, quam in præsentiarum in publicum emitto dissertationem, accommodare in animum induxerim; scilicet, AUGUSTE AC CLEMENTISSIME PRINCEPS ELECTOR, tantâ GRATIA ELECTORALI TUA invitatus, non potui non devotissimam animi mei venerationem expromere. Ita DEUM T. O. M. suspiriis quovis tempore invocabo ardentissimis, benignè is concedere velit, ut SERENITAS TUA ELECTORALIS, per maxima temporum spatia, optatissima sanitate fruatur, utque nonnisi serini NEPOTES TANTUM PRINCIPEM, MUSARUM CONDITOREM AC CONSERVATOREM CLEMENTISSIMUM cælos ac æterna gaudia adeuntem videant. Interea SERENISSIME AC POTENTISSIME ELECTOR, permittite clementissimè, ut qualescunque hæc meditationes ad SERENITATIS TUÆ ELECTORALIS pedes, ego & Respondens meus, quàm humillimè deponamus, in æternum, devotissimo animi cultu, futuri.

SERENITATIS TUÆ ELECTORALIS

Duisburgi Clivorum
quinto Calendarum
Decembris, Anno
MDCC.

Humillimi & subjectissimi servi
Casparus Theodorus Summerman. Præses
&
Theodorus Henricus Severin. Respondens



I. N. D. N. J. C.

§. I.



Uti hominum ingenia exactius consideraverit, & quam variis inter se libidinibus mortales agitentur, perpendit, is deprehendet facile, non esse rem vulgaris operæ, tantam hominum multitudinem, quanta civitate continetur, ritè temperare, quò illi decens vigor, justaque sanitas constet.

Cura magistratus circa res gratia.

Ut de aliis taceamus, quantas turbas excitare solet, dum complures sæpe mortales in eadem Republica, unius ac ejusdem rei desiderio flagrant, ac unicum non rarò obiectum plurimos nanciscitur competitors. Sic mortuo Principis Officiali quodam, sede ejus tum vaciva, quis non supplicantium numerus, quanta non Candidatorum caterva, Aulam sollicitare solet. Hic equidem inter complures justis ad illud officium instructos requisitis, Principis est definire, cui gratia ipsius affulgere debeat.

§. II.

Verum sæpius duo vel plures rem eandem expetunt, bona scilicet, pecuniam, aliudve privati juris obiectum, & summa inter se, de hisce, contendunt ope, ut, eo modo, idem velle, quod aliàs maximum amicitiae vinculum est, tum in infinitarum propè concertationum

Cura ejus circa res justitia.

tionum & litigiorum torrentem evadat. Hic arbitrium Magistratus liberum non est, sed ad leges adstrictum, ut excussis utriusque partis momentis ac rationibus, quem debitæ victoriæ palmam reportare oporteat, sententiâ judiciali determinet.

§. III.

*Institutio
summorum
tribunala-
rum.*

Sicuti verò hac in parte omnium ferè Rerumpublicarum salubris Ordinatio est, ut civibus Magistratus alicujus pronuntiato, se læsos existimantibus aliud superius Tribunal tum suppetat, ad quod confugere, justamque causæ decisionem ab eo sperare possint; ita in Imperio istud necessarium æque institutum viget, quo condemnatis à judice quodam ad superiorem alium convolare integrum sit, ne unius ita instantiæ alea causæ periclitentur; quanquam, nunquam enim sine abusu existit usus, temerarii litigatores ad vexandos saltem adversarios suos remedium hocce sæpius arripiant, cui tamen in Republica nostra Status & Ordines Imperii quodammodo privilegiis de non appellando, aliisque modis obicem posuere.

§. IV.

*De summis
in Imperio
judiciis in
primis de
Camerale,
ejusque ju-
risdictione.*

In Imperio itaque nostro duo ejusmodi summa conspiciuntur tribunalia, litigantibus ultimum præsentia refugium: Camerale scilicet & Aulicum Judicium, & de priori quidem Cameræ Imperialis Judicio quædam meditari constitui, præprimis vero de Jurisdictione ejus, seu omnis legitimæ disceptationis fundamento, in præsentiarum tractare animus est.

§. V.

*De fonte
hujus ju-
risdictio-
nis.*

Ante omnia autem oportebit considerare fontem atque causam hujus jurisdictionis, ut liquido inde de vera ac genuina illius indole judicari possit. De Jure Romæ.

Romano in Statu populari, quicquid in Magistratibus *De Juris-*
 potestatis erat, illud omne à Senatu Populoque Roma- *diçtione*
 no proficiscebatur, hæctenus tamen, ut gladii jus, merum *veterum*
 Imperium vocabant, Populo reservatum fuerit, de san- *Romano-*
 guine quippe ac capite civis Romani judicare, non le- *rum.*
 vis momenti visa res est, adeò ut Quirites, vitam Ro-
 mano civi, facinoroso licet & maxime scelerato adi-
 mere, piaculum nefasque duxerint. Quid? quod ne
 civitatem quidem delinquenti invito auferre voluerint.
 Quo tamen interea facinorosis istis ac noxiis hominibus
 civitas purgaretur, illud, quod directè fieri piaculum
 putabant; saltem per obliquum effecere, adimendo de-
 linquentibus necessaria maximè vitæ subsidia, & ab ele-
 mentorum, aquæ scil. & ignis usu istos arcendo, *aqua*
 & *igni interdicerè* isti vocabant, in cujus locum post-
 modum tamen aliud pœnæ genus, *deportatio* nimirum,
 ab Augusto surrogatum fuit: atque hinc est, quod com-
 munitè sub voce *Jurisdictionis* in Legibus nostris Ro-
 manis illa tantum potestas significetur, quæ circa civiles
 causas occupatur, utut aliquando latè hac voce sumpta
 Authores & Jcti Romani Criminalem quoque Jurisdi-
 ctionem significaverint. Deinde non omnes actus Magi-
 stratus Romani vi jurisdictionis suæ expedire poterant,
 sed non pauci specialem desiderabant concessionem,
 adeo, ut sine hac Ordinariis Magistratibus, ejusmodi ne-
 gotiis, potestatem ac cognitionem suam accommodare
 integrum haud fuerit, quare quæ extra jurisdictionem
 Ordinariam seorsim ita obveniebat potestas, nomine *ex-*
traordinaria jurisdictionis vocabatur; ad quam sequen-
 tia pertinere, 1. *Tutoris datio* l. 6. §. 2. ff. de *Tutelis.*
 non vero *suspecti remotio* arg. l. 1. §. 3. 4. de *suspect. tut.*
 2. *cognitio ac interpositio decreti super prædiis minorum*

B

alie-

alienandis l. 2. §. 1. de officio ejus cui mand. ut & 3. cognitio super transactione de alimentis testamento relictis l. 8. pr. & §. 18. ff. de transact. tum 4. Legis actiones, qua in specie ita dicuntur, ut adpotio, manumissio vindicta, & emancipatio liberorum, l. 3. de Offic. Praecons. l. 21. de manum. vindict. nec non 5. cognitio super manumissione à minore 20. annis facienda §. 4. 7. quib. ex caus. manum. & tandem 6. Judicis dandi potestas in Magistratibus provincialibus l. 12. §. 1. de judiciis; Hic verò maximopere cavendum, ne quis *extraordinaria jurisdictionis* hosce actus, cum illis causis, quæ *extraordinarie cognitionis* in legibus nostris dicuntur confundat, ac toto cœlo inter se distincta misceat. Prator & Magistratus apud Romanos ordinariè in causis controversis ipsi non judicant, sed litigantes, data ipsis formula ad Judices illos, quos in sublellis ante pedes sedentes habebant, Pedaneosque hinc appellabant, ablegarunt. Pedaneorum munus fuit, secundum formulam à Magistratu ipsis præscriptam causam & utriusque partis fundamenta audire, ac deinde certa sententia dirimere, quo ipso illorum officium finiebatur, dictaque sententia desinebant Judices; quod juris axioma adhuc hodie ad hodiernos nostros judices nonnulli processus Romani historiam ignorantes, imperitè satis extendunt. Cum vero cognitio seu notio hæc à Pedaneis Judicibus non fieret in omnibus causis, sed quædam negotia, ob favorem ipsorum, ab ipso Magistratu cognosci atque decidi necessum esset, hinc *extraordinarie cognitionis* nomen ad ejusmodi causas, quas non dato Judice Prator ipse extra ordinem cognoscebat, manavit; ejusque generis sunt, *cognitio de honorariis Professorum liberalium artium, Medicorum, Advocatorum* l. 1. de extraord. cognit. item de fidei-

cons-

commissis, l. 178. §. 2. *de Verb. Sign. de transactione alimentorum*, l. 8. §. 8. *de transact.* & si quæ sunt causæ similes. Hinc in ejusmodi *extraordinaria cognitionis* causis à Prætorè in Edicto, pro illa usitata & tralatitia formula: *Judicium dabo*, aliud dicendi genus usurpatum legitur, scil. *Animadvertam*. Alias inter cognitionem hanc *extraordinariam*, & quam *ordinariam* dixi, regulariter hanc pono differentiam, quod *illius* duæ sint partes, *Jurisdictio* in specie ita dicta scil. & *mixtum imperium*; hujus vero tres, *Jurisdictio* strictè sumpta, tum præterea *Judicium pedaneorum notio*, ac quoque *mixtum Imperium*: nam potestatem illam, qua Magistratus statuta, modica coercitione, ad effectum & executionem deducere valebant, ab ipsa *Jurisdictio* differre nullus dubito, ac propterea ejusmodi facultatem, quæ *mixtum* ita dicitur *Imperium*, à *Jurisdictio*, ut partem à toto distare pro certo habeo.

§. VI.

Hæc *Jurisdictio* Romanorum fuit indoles, & Rom. hæc varia distinctio; quæ an hodiernis temporibus & apud *Jurisdictio* nos sit abrogata, tam ridiculum puto quæri, quam si *ad hodiernis* quis de Legibus Hispanicis, aut Turcicis in Alcorano *conscriptis*, in Germania nostra, utrum abrogatæ illæ sint, *non quadrat.* dispicere velit. Sed solent tamen Interpretes nonnulli tam in pertinenter in quæstionibus formandis procedere, ita simili modo inconcinne satis in *Contractuum* materia, ab aliquibus dicitur, differentiam inter *nominatos* & *innominatos*, item *bonæ fidei* ac *stricti juris contractus* apud nos abrogatam esse; rem ipsam hic neutiquam in dubium vocaverim, verum an appellatio nomenque abrogationis ejusmodi juris decisionibus, ac divisionibus, quæ nunquam apud nos receptæ fuere, accommodari possint, illud est quod plane abnuo.

B 2

Cum

§. VII.

*De causa
Jurisdi-
ctionis Ca-
meralis.*

Cum itaque *Jurisdictionis Cameralis* longe alia sit facies, quam ejus, quæ apud Romanos in usu fuit, juris dicendi potestatis, inde, quò in viam jam redeamus, hoc loco dispici debet, quæ causa, quæque origo Camerali Collegio & illius Jurisdictioni assignanda sit. Heic præprimis necessum judico considerare tempus, quo Camera primum fundata fuit. Communis hac in parte opinio est, institutionem Judicii illius ab anno 1594. arcessendam esse. Scilicet eo tempore, & quidem die 31. Octobris, Francofurti ad Mœnum id stabilitum legimus, cum antea in Comitibus, quæ Wormatiæ habebantur, à Maximiliano I. ac Imperii Statibus de Tribunali hoc ordinando deliberatum fuerit. Vid. *O. C. de anno 1694. in præfat. Speidel. voc. Cammer-gericht. Barth. Sent. Cam. tom. 1. in Epist. dedicat.* Itaque patescit ex eo, voluntatem Imperatoris Statuumque, causam illius Judicii habendam esse.

§. VIII.

*De defini-
tione ejus-
dem.*

Non levi igitur opera hinc definitio Jurisdictionis Cameralis formari poterit; non erraverim, puto, si dixerim eam: publicam juris dicendi potestatem, Camere ab Ordinibus Imperii tributam. Causa itaque efficiens hujus potestatis, proxima scil. est, Imperator & Status Imperii, & hi non quidem, ut nudi Consiliarii, ut cum consilio saltem horum summum hoc Imperii Tribunal natales suos primum acceperit, sed ut veri consentientes in constitutionis hunc actum, ita, ut sine horum consensu ejusmodi quid neutiquam stabiliri potuerit. Remotam verò ac mediatam causam Deum, tanquam Conditorem omnium Rerumpubl. cunctæque legitimæ potestatis, Cameralis hujus Jurisdictionis statuo; nam po-
testa-

testatem aliquam, ac quicquid in Principe, & Electoribus quoque nostris, cernitur Majestatis, immediatè à Deo proficisci, hactenus mihi nemo persuadere potuit.

§. IX.

Et quanquam non arduum jam fuerit dirimere, quali nomine Jurisdictio hæc Cameralis insigniri debeat, attamen non adeò expeditum quibusdam creditur, utrum potestas talis, *ordinaria* sit, an vero *delegata*. Qui hanc ultimam, *delegatam* scil. propugnant Jurisdictionem, eos sequentem in modum video argumentari.

Sicne delegata jurisdictio hac an ordinaria.

1. Collegio Camerali facultatem hanc judicandi ac decernendi non competere à lege, quin potius, ex singulari Cæsaris cum Statibus conventionem; jam qui à lege Jurisdictionem habere velit, ut eam, jure proprio, non aliena indulgentia, obtineat, necessum esse; legis enim esse, non mandare, sed dare Jurisdictionem. 2. In Camera sub nomine, titulo, ac sigillo Cæsaris expediri Processus *O. C. part. 1. tit. 27. §. und soll der Verwalter*; ast Ordinarios Judices cuncta proprio peragere nomine. *arg. l. 3. de offic. ej. cui mandata est jurisd.* 3. Ordinarios non esse, queis vice alterius actus judiciales agere incumbat; Jam vero Judices, Præsides atque Assessores in Camera Imperatorem ac Status Imperii representare. *Cran. de pace relig. cit. loc.* 4. Hanc opinionem insigniter confirmari opinantur, ipsius Imperatoris Rudolphi II. testimonio, dum in privilegio de non appellando à Judicio Appellationum subdelegato Argentoratensium sequentem in modum prolocutus fuit: also daß absurdum und ungereme wäre / von einem Kayserl. delegirten Gericht für und an daß andere zu appelliren. Formulam hanc nobis sistit *Dn. Schilter in Inst. fur. Publ. tom. 1. lib. 4. tit. 5. §. 1. p. m. 360.*

Rationes pro delegata.

B 3

§. X. Ve-

§. X.

*Confuta-
siones il-
larum.*

Verum utut hæc fortassis sat subtiliter disputari soleant; tamen Jurisdictionem Cameralem delegatam esse, nemini persuadebitur, cui rerum civilium profundior paulo intellectus. Facile equidem, ut ad primum me statim convertam dubium, à me impetrabunt dissidentes, ut illis concedam, ex singulari conventione Cæsaris cum Statibus, Collegio Cam. competere Jurisdictionem. Verum an delegata inde jus dicendi potestas evadet? Videant certe quid defendant. Nam magnum habebit malum, qui omnibus istis Judicibus, qui à Principe constituuntur, Ordinariam Jurisdictionem detractum ìverit; lex enim quoad hos non definit, quem v. g. Judicem seu Prætorem Teutoburgi hic esse oporteat, à Principis enim Gratia, ejusmodi, quanta quanta est, Ordinatio proficiscitur; at quis talem Magistratum propterea dixerit delegatum, eique Ordinariam denegaverit juris statuendi facultatem? Quod deinde mos remanserit in Camera sub Sigillo, Nomine, ac Titulo Imperatoris expedire Processus, illud stylus seculi produxit, ut maximè erroneum fuerit, ab externis ejusmodi rebus, *curialia* seu *curia stylum* vocant, ad rem ipsam ac veram alicujus negotii indolem argumentari velle, utut ex titulorum hac pompa Monarchicum Regimen in Imperio quidam jam olim adstruere conati fuerint; & adhuc hodie nonnulli ejusmodi opinionibus sibi placeant; verum quam rectè, ab aliis jam dudum edoctum est. vid. *Severin. de Monzamb. de Statu Imperii Rom. Germ. cap. 6. §. 6. seq.* Dehinc frustra asseritur, Ordinarios non esse, qui vice alterius Jurisdictionem exercent; nam instantia illa, à Judicibus à Principe constitutis, modo data ejusmodi dubium profligare rursus poterit. Quod vero Rudolphus II.

vocem

vocem Delegati Judicii Camerae accommodaverit, istud genuinae hujus Jurisdictionis naturae nihil quicquam derogare valet; ab Imperatore enim, ut ad exquisitae civilis scientiae regulas dictionem suam tam sollicitè formet, requirere putidum fuerit; & mens quoque illius, utut incommodis vocabulis expressa, in se perspicua satis est.

§. XI.

Ordinariam itaque Jurisdictionem Summo isti Tribu-
 nali competere certissimum reor: dum enim ab Ordini-
 bus Imperii publica Juris dicendi potestas illi tributa, ut
 vi istius Jurisdictionis ac officii statuere possit, hinc vel
 ex hoc fundamento manifesta haec thesis redditur; quae
 complurium quoque Doctorum calculum meruit. Vid.
Gail. 1. O. 41. n. 5. Mynsing. consil. 24. n. 4. & 5. Paur-
meist. de Jurisd. lib. 2. cap. 6. n. 31. Benderus de Revis.
conclus. 4. n. 3. Blarer. ad l. diffamari cap. 6. n. 40. Rein-
king. de R. Sec. lib. 2. class. 2. cap. 14. n. 7. item Vitriarius
in Inst. Jur. Publ. tom. 1. lib. 4. tit. 5. §. 1. p. m. 360. sec.
edit. novissimam in quarto; quanquam hic pro neutra,
 seu ordinaria seu delegata, pugnet hac in parte Jurisdi-
 ctione, sed simpliciter dependentem ac magistralem
 hanc potestatem dicat. Uti vero sententiae alicujus de-
 fensoribus semper eò annitendum erit, ut talia adferant
 argumenta, quibus illud, quod probari oportet, clare
 evincatur; hinc in praesenti juris controversia, ut illud
 observatum esset, maximè optandum foret. Verùm
 deprehendo apud plerosque hujus opinionis defen-
 sores ejusmodi ratiocinia, quae nihil quicquam adstruere
 valent; sic dicunt: Imperatorem, causas in Camera
 pendentes, neque motu proprio, neque ad partis in-
 stantiam, avocare inde, atque ad se trahere posse; Bene-
 quidem ita; verùm non ideo haec Jurisdictio redditur
 Ordini-
*Rationes
 pro Ordina-
 naria.*



Ordinaria; nam quod Imperatori talis avocandi causas potestas non competat, id inde est, quod ipse solus, sicuti non constituit Cameram, ita eandem quoque non possit tollere, vel in totum, vel quoad certam partem, avocando scil. ab ea certas causas; nam tale quid communi constituentium consensu Statuum scil. Imperii fieri debere, ipsum juris & sanæ rationis dictamen suadet, quod nihil tam naturale sit, quàm eo, quo quid colligatum est, modo, idem resolvi.

§. XII.

*Jurisdictio
Cam. an
dependeat
à solo Im-
peratore.*

*Rationes
pro affir-
mativa.*

Equidem nonnullos, vel affectus, vel alia causa, abripuit, ut, à solo Cæsare Jurisdictionem Cameralem dependere, non dubitaverint asserere. Ita ratiocinantur
1. Collegium Cam. Cæsaris judicium vocari, *das Kayserl. Cammergericht. Ord. Cam. Part. 1. in pr.* quare 2. Imperatorem, dicunt, illud appellitare; *Sein höchstes gericht R. 7. de anno 1654. §. als auch bey dem algemeinen.* 3. Nullibi legi, Status concurrisse, cum antè institutam Cameram, jurisdictio solius Cæsaris fuerit. 4. Decreta Cameraalia sub Sigillo & Nomine Cæsaris expediri. *arg. Ord. Cam. p. 3. tit. 12. §. Und solche.* Hoc dogma inter cæteros defendunt *Schutz vol. 2. 7. P. dis. 2. th. 6. lit. D. p. 66. Paurmeist. de jurisd. lib. 2. cap. 6. §. 18. Limn. lib. 9. Jur. Publ. cap. 2. n. 54. seqq. Dn. Lyncker in Anal. ad Schwed. Jus Publ. part. spec. sect. 1. cap. 8. §. 3. p. 32.*

§. XIII.

*Rationes
pro nega-
tiva.*

Verùm rectius rem ponderarunt illi, qui non solius Cæsaris, verùm Statuum quoque Imperii nomine, Assessores jus dicere existimant. Et validissimo hoc sunt suffulti argumento: dum communi Imperii statuum consensu & auctoritate, judicium hoc constitutum est, necessario

cessario quoque inde fluere, & jurisdictionem ad omnes
 constituentes, non verò ad unicam saltem partem re-
 ferendam esse; qualis enim sit causa, talem quoque
 effectum esse debere, naturalis ratiocinationis regulas
 dicitare. Sanè quis adeò rerum in Imperio & impri-
 mis tot Ordinationum, de Camerali hoc judicio exstan-
 tium, ignarus est, ut nesciat cunctorum Statuum consen-
 su Cameram constitutam esse, quapropter non Impe-
 torem solum, verum universum Imperium repræsentare
 dicitur. In *Ord. Cam. de anno 1555. p. 1. tit. 8.* disertis
 exprimitur verbis: daß die *Beyfiser* von der *Kaysertl.*
Majestät auch *Churfürsten* und *Ständen* des heiligen
Römischen Reichs / an solche hohe justitien geordnet / und
 an *Ihrer* statt sitzen / quo textu quid clarius, quid a-
 pertius inveniri queat, ego certè non video. Deinde
 ipsi Imperii Status, jurium suorum haud ignari, hæc eo
 quoque interpretati fuere modo, prout ex *Replica tri-*
um secularium Electorum apud Lundorp. tom. 2. Act.
Publ. lib. 1. tr. 4. p. 47. daß *Cammer-Richter* und *Bey-*
fiser ihre jurisdiction von *Kaysertl. Majestät* / auch *Chur-*
fürsten / *Fürsten* und *allgemeinen Ständen* des *Reichs*
 haben. Quo autem omnis dubitationis præcludatur spe-
 cies, locum ex *R. Imp. de anno 1654. S. 165.* subjiciam; ita
 verò is se habet: Damit aber auch unser und des heiligen
Reichs Cammer-gericht / als welches uns samt *Chur-*
fürsten und *Ständen* des *Reichs* repræsentiret / und
 nun wiederumb so ansehentlich und stattlich ersetzt wird /
 inhalts der vorigen *Reichs abschiede* und *ordnung* seine
 autorität / jurisdiction und gewalt / wie sichs gebüh-
 ret / erhalten &c. Quod & ipsi *Assessores* in libello su-
 perioribus *Comitiis* exhibito disertè fassi sunt; daß
 nemlich von *Kaysertl. Majestät* auch *Churfürsten* und
 C Stän-

Ständen des Reichs das gericht lediglich dependire.
 Et quæso, quo colore aliàs circa prælaudatum iudicium,
 Imperii Status; non Imperator solum, verùm cæteri quo-
 que Ordines quid mutare potuerunt, in Recessibus scil.
 Imperii & Instrumento pacis? Certè aliis Statibus ne-
 quicquam talia conveniebant, si solus Imperator auctor
 Collegii illius erat; quare & sententiam hanc, Cæsari
 & Statibus debitum jus tribuentem, ceu veriolem, viri
 satis celebres amplectuntur; inter quos maximè elucet
Schweder in Jur. Publ. part. spec. sect. 1. cap. 13. §. 8. Vi-
triar. in Inst. Jur. Publ. lib. 3. tit. 2. §. 68. Severin. de
Monzamb. de Stat. Imp. Germ. cap. 5. §. 20. ibid. Dr. Tho-
mas. in not. lit. L. p. m. 282.

§. XIV.

Respon- In contrarium allata speciosa saltem sunt, nequic-
nes ad quam verò re ipsa aliquid comprobantia. Vocatur Ca-
contraria. mera quandoque; **das Kayserl. Cammer-gericht** / sed &
 Imperatorem istud vocare; **unser und des heiligen Reichs**
Cammer-gericht / quis est, qui ignoret? vid. *R. 7. de*
anno 1654. §. damit dan auch 2c. 126. & §. 165. Unde la-
 tino sermone non Imperatoris, sed Imperialis, quasi **des**
Reichs Cammer / dicitur; unde *Limneus lib. 9. Ju. Publ.*
cap. 2. §. 53. labitur, quod Cameram Imperialem & Im-
 perii diversa heic significare existimet. Quod Impera-
 tor Cameram appellat; **sein höchstes Gericht** / perpe-
 ram hinc concluditur, illam & Statuum Tribunal non
 esse, siquidem unius inclusionem non esse exclusionem
 alterius apud omnes constat; unde in sæpe alleg. *R. 7.*
de anno 1654. §. damit aber auch 165. Imperator dicit;
Unser Kayserl. und des Reichs höchstes gericht. Quod
 nusquam legatur, Status circa partem hanc concurrisse,
 illud frustra asseritur, & per superius adducta explodi
 poterit;

poterit; sicut quoque illud affatim demonstratum fuit, lubricum nimis esse, à stylo judiciorum, & externis illorum formularibus ad ipsam rem argumentari velle.

§. XV.

Sed uti mediâ ambulare viâ, Justiniano nostro sæpius *Media* cordi fuit, nonne & heic medio tutissimus ibis? Sanè *sententia.* Kulpisius, quoad præsentem controversiam, ejusmodi fuit amplexus sententiam, quâ Imperatori quidem, circa Jurisdictionem Cameralem omnis adscribitur authoritas, verùm, quantum constitutionem illius judicii attinet, ibi Status quoque concurrisse. Ita enim prælaud. *Auctor* in not. ad *Monzamb. p. 2. cap. 2. §. 2. p. m. 122.* differit: Aliud omnino est, si quæras, à quonam Camera Imp. constituta sit, aliud à quo jurisdictionem habeat, vel cujus nomine jus dicat: quod plerique, atque inter eos etiam Limnæus ac Stephani confundunt, eruditè autem distinguit Lampadius (*scil. in tract. de Republ. part. 3. cap. 16.*) ita ut constitutionem illius, quoad subjectum, formam & modum expediendæ jurisdictionis, communi Statuum & Cæsaris authoritate factam esse, ipsam verò jurisdictionem à solo Cæsare accepisse dicat. Sed talia quis componet & conciliabit? Musa velim memores, qua ratione Imperatori adscribi possit jurisdictio, quæ sine subjecto, forma & modo expediendi consistat? Satius credo fuisset, Scholasticorum ejusmodi distinctiunculis ac doctrinis de separatione partium Majestatis ac de Republica mixta repudium dedisse, quam talibus cantilenis nihilquicquam producentibus ac significantibus inhæsisse; quæro enim, quale ens credis Jurisdictionem sine subjecto, forma & modo, quidque Imperatori talibus rebus, quæ extra conceptum nostrum nihil & tantum non aurei montes sunt, accessurum putas? conf.

omnino Dn. Thomas. *in not. ad Monzamb. cap. 5. §. 20. p. m. 282. seqq.*

§. XVI.

Quid in avocationibus causarum à Camera juris.

Solus Imperator causas avocare nequit.

Hisce jam præsuppositis, facile puto erit dirimere, quid in avocationibus causarum à Judicio Camerali obtinere debeat. Nam illud jam inconcussum erit & firmum, integrum Camerae Tribunal, non aliter tolli posse, nisi omnium eorum consensu, qui istud constituere, & ita istius Conditores exstiterent. Consequens itaque hisce est, in certis quibusdam causis à Camera avocandis, arbitrium unius vel alterius Status non valere, sed omnium vota ad id exquirenda esse; nam quod juris in toto est, illud in parte quoque obtineat, necessum est. Unde *in Ord. Cam. part. 2. tit. 35.* expressè statutum legitur; *daß dem Kayserlichen Cammer-gericht/ unverhindert einiger restitution, supplication, avocation, oder anderer suspension, und auffschlag/sein freyer/ starcker/ unverhinderter lauff gelassen/ und dawieder nicht gegeben werden.*

§. XVII.

Contraria adducuntur.

Lynckeri Sententia.

Atque sententia hæc olim quidem inter communes numerari poterat, nullis adhuc dum dubitationum concussa fluctibus. Verùm ab illa discedere placuit Paurmeistero, *in Tract. de Jurisdiet. lib. 2. cap. 6. n. 15.* in posteriori scil. editione; in priori regiam adhuc veritatis viam secuto. Et ab hac sibi deflectendum quoque esse, existimavit Dn. Lyncker *in Anal. ad Schweder. Jus Publ. part. spec. sect. 1. cap. 10. §. 8. p. m. 39.* ubi sequentia adfert: „Possent statui Cæsarem (quippe cujus) a-
„vocare posse causam aliquando à Camera Imperiali,
„sicubi constar, eam Jurisdictione, qua Cæsaris vice,
quan-

„quanquam ex lege Ordinationis, & concurrenter fun-
 „gitur, abuti. Per hoc enim non evertitur: **daß dem**
 „**Cammer-gericht sein starcker lauff gelassen werden**
 „**solle.** Nam & Princeps quilibet in territorio suo, li-
 „cet non possit impedire Vasallos suos in Jurisdictione,
 „ipsis per conventionem, vel cum Feudo, concessa, quam-
 „vis subalterna; potest tamen, si eadem abutantur,
 „uti ex potestate superiori causæ unius alteriusvè avoca-
 „tione. Quoniam verò rarissimi casus fuerint, ubi Ca-
 „mera Jurisdictione sua abusa esse censi possit, hinc
 „Doctores ad negativam prolapsi sunt, & tamen præju-
 „dicia existant, ubi Aula Cæsarea, eo quod pars gravata,
 „super Processu Camerali, apud Cæsarem conquerere-
 „tur, si non avocationem, tamen simile quid tentaverit,
 „ut vel ex sola causa Waldeck contra **Ostfriesland**, e-
 „videns est. Num verò Cæsar causam avocaturus, Im-
 „perii Status in consortium admissurus sit? ut *c. XII. §. 7.*
 „*h. in fin.* traditur, merito dubites.

§. XVIII.

Quis non videt, verba modo citata directè legibus *Responde-*
 Imperii publicis refragari, quod tamen pace Viri cele- *tur ad*
 berrimi dixerim. Primum enim præsuppositum istud, *Lynckeri*
 quo Cæsari universalis in Imperio Jurisdictio adscribitur, *locum.*
 ab aliis affatim rejectum fuit. Deinde utrum Camera
 Jurisdictione sua abutatur, vel non, quis demum hoc
 judicabit? Ipsa certe Camera hoc nullis unquam fate-
 bitur temporibus, se in Jurisdictione excessum ac abu-
 sum commisisse. Secundum Dn. Lynckeri itaque sen-
 tentiam, solius Imperatoris arbitrio standum erit. Ve-
 rum, ubi tum vestra manebit libertas, ô Ordines Im-
 perii! In quo tandem existimabitis, vestram, qua utimi-
 ni circa Cameralem Jurisdictionem, consistere potesta-
 tem;

tem; Vos, inquam, Electores, Principes, reliquique Status Imperii! Quid de vobis referam, Judex, Praesides & Assessores in Camerali Judicio; scilicet creditisne in favorem vestrum ejusmodi vergere ratiocinium, dum in tanta causarum apud vos pendentium copia, avocationibus quorundam Processuum vobis consuli, & ex concatenatis laboribus vestris, aliis pars magna imponi queat? Nullo modo illud existimaverim: nec etiam temporibus nostris ejusmodi quid eveniet; dum de S. Imperii Sacratissimo Capite, LEOPOLDO NOSTRO INVICTISSIMO, cui Optimi nomen jure optimo tribues, gloriari licebit, nihil magis ipsi curæ esse, quam ut jus cuique suum tribuatur, ac Ordinibus competens libertas, Camerali verò Judicio cursus impeditus maneat; atque idem ut speremus de JOSEPHO I. ROMANORUM REGE INCLYTO, uti tot Regionum, sic quoque tot virtutum vero hærede, jam olim multa comprobavere testimonia. Interim tamen Juris Publici Scriptoribus illud maximè observandum erat, ne opinionem contra tot Imperii constitutiones tam directè militantem foverent. Sed quid attinet in re aperta verba facere. Locum ex Capitulatione LEOPOLDI subjiciam, scilicet S. auch sollen und wollen Wir 42. ubi in medio disertis verbis, sequens continetur dispositio: Die am Kayserl. Cammer-gericht zu Speyer aber anhängig gemachte / und noch in ohnerörtertem Recht schwebende Sachen von dar ab / und an unsern Reichs-Hoff-Rath nicht abgefordert / noch von uns auffgehoben / und dagegen inhibiret / oder sonsten auff andere weiß rescribiret / auch was dagegen vorgenommen / als null und unkräftig vom Cammer-gericht gehalten werden soll. Conf. quoque R. 7. de anno 1654. S. Ebenmässig sollen. 166. Quod verò

verò à quolibet territorii Principe, quoad Jurisdictionem Vasallis in Feudum ibidem concessam, ad Imperatorem nostrum atque Imperii Status argumentum ducatur, illud oppido quam lubricum esse existimo, cum inter Vasallum alicujus Principis & Status Imperii maxima sit discrepantia, quam illi facile deprehendent, qui cunctas constitutiones publicas, imo ipsam experientiam indubium vocare nolunt. De præjudiciis quod affertur, Aulam scilicet Cæsaream, si non avocationem, attamen simile quid tentasse, id contrariam opinionem nihilquicquam juvare poterit. Uti autem de lege aliquatum demum judicium fertur, si omnia illius verba inspecta fuerint; ita quoque de rebus hisce agitatis nihil ante definiendum est, quam omnibus circumstantiis bene consideratis. Ita non equidem abnuo Maximilianum I. anno 1516. 30. Januarii avocationem alicujus causæ tentasse, siquidem Barthius illud probat *tom. 1. Sentent. Camer. p. 437. lit. G.* Verùm tali avocatione non obstante, Collegium Camerale in ejusmodi causa processisse, Processum ac ulteriora judicialiter decernendo, idem Auctor testis est. Alia præjudicia apud eundem Barthium occurrunt, ut & Schvvanemann. *Obs. pract. 3. item Roding. in Pandect. Camer. lib. 1. tit. 3. §. 23.* Verùm avocatio effectum & finem nunquam in hisce sortita fuit; causa verò Waldeck contra *Ostfriesland* huc nihil contribuere potest.

§. XIX.

Dixi in definienda Jurisdictione Camerali potestatem hanc summam esse, quo ipso innuere volui, Judicium aliud, quod Camerâ superius sit, in Imperio nostro non dari, neque prædicatum istud inconueniens existimaverim, ex eo, quod præter Cameram in Imperio aliud existat

*Jurisdictione
Camer. est
summa in
Imperio.*

stat Judicium Aulicum scil. æquali potestate gaudens. Nam quid quæso prohibet, duo vel plura entia statuere, quorum uni in alterum nulla competat potestas, quin potius illis cuncta subsint? In Aristocratia enim hoc procedere, quis moralium rerum peritus inficias iverit? Sed illud fortassis non expeditum adeo est, oriaturne confusio causarum ac potestatum ex æquali hac duorum Tribunalium potestate? Respondeo, nullis hanc rem obnoxiam esse confusionibus, nullis difficultatum tricis. Controversiæ enim istæ, quæ coram Aulico Judicio institui queunt, coram Camera quoque dirimi possunt; & vice versa: Et utrum Assessores Camerales, an verò Consiliarios Aulicos in causis pro Judicibus quis sibi cooptare velit, hoc perinde est, & in litigantium arbitrio positum. Vocant hoc, concurrentem habere Jurisdictionem, quam sequenti modo definio, facultatem scil. diversis Judicibus concessam, de eadem controversia cognoscendi.

De concurrentia jurisdictionis.

§. XX.

Hæc concurrentia probatur.

In dubium Jurisdictionis hanc concurrentiam vocare non exigui nominis Jcti ac Scriptores, inter quos Schraderus eminent in *Synops. Jur. Feud. tom. 2. cap. 12.* & ferè abhinc sesquiseculo hac de re tractatus typis impressus fuit, sequenti inscriptione: **Gründlicher Unterricht ob der Kayserliche Hoff mit und neben dem Kayserlichen Cammer-gericht zu Speyer concurrentem Jurisdictionem in allen und jeden Sachen habe; cujus libelli compositionem multi Marquardo Frehero, nonnulli Michaeli Læfenio, alii verò utrique simul adscribere. Dicitur verò Auctor vel eapropter concurrentiam hanc negavit, quoniam Camera Jurisdictio eadem & Imperatoris est, die Jurisdiction, so in Camera administrirt wird / seye eben der Kayserl. Majestät Jurisdiction. Verum**

nim paulo ante demonstratum fuit, quid de ejusmodi opinione qua solius Cæsaris Jurisdictione Cameralis dicitur, sentiendum sit; Et ut maximè detur, Jurisdictionem Cameralem Imperatori saltem adsignandam esse, tum eò magis concurrentiam hanc procedere existimarem. Certè Principem plures Judices in Provincia cum æquali ejusmodi cognitione causarum ordinare posse quis dubitabit. Et quare etiam ab expressis Ordinationis illius, quæ de Aulico hoc Judicio exstat, verbis recedere, in animum inducimus; *Principium tit. 2.* sequentia nobis sistit verba: In unserm Reichs-Hoff-Rath sollen alle und jede sachen des H. Reichs / desselben Hoheit / Recht und Herzlichkeit / Pfandschaft / Lösung / Regalien / hohe und niedere Lehen / Privilegien / indult, confirmation, und anders / wie solches nahmen haben mag / und in summa was nach der unfehlbahren Justitien dirigiret / und decidiret werden soll / insonderheit alle und jede parthey Sachen / die Rechts-gewohnheit / Connextat / und consequenz halber / für unser Kayserlich Gericht gehören / oder von den ersten instantiens durch mittel der appellationen / supplicationen / dictionis nullitatis, implorationis officii, oder in andere alle wege sich dahin wenden / fundiret und gehörig seyn / die sollen alda angenommen / gerechtfertiget / darüber erkennenet / und die nohtturft außgefertiget werden. Confer *Instr. Pac. Art. 5. §. Quoad Processum.* ubi dispositum; in Aula Cæsarea, Ordinationem Cameræ quoad Processum per omnia observandam esse. Ergo maximè hoc fieri oportet circa decernendos Processus, & ni concurrens statuatur jus dicendi potestas, quomodo tum fieri illud posset. Prolixius tractarunt hanc rem, *Schutz. in 7. P. vol. 2. Diss. 2. §. 7. lit. B. p. 69. &c. Arumaus in 7. P. vol. 1. Diss.*

D

Diss.

Dis. 13. q. 4. Petrus Heigius part. 1. qu. 9. Gail. 1. Obs. 29. §. 3. & 7. Reinking. de Regim. Secul. & Eccles. lib. 1. Class. 2. cap. 2. §. 211. p. 77. & lib. 1. Class. 4. cap. 19. §. 87. p. 477. & lib. 2. Class. 2. cap. 14. §. 75. p. 960. Paurmeister. 2. de Juris dict. cap. 5. Limn. in Jur. Publ. lib. 9. cap. 4. qui tamen neutri parti accedit, quin potius iudicium heic suspendere satius duxit.

*Actori
competit
electio co-
ram quo
iudicio
reum con-
venire
velit.*

§. XXI.

Atque concurrentia hæc litigantibus facultatem concedit, ex talibus diversis Tribunalibus, eligere sibi unum, coram quo litigare malint. Et actori plerumque hoc arbitrari licebit, coram quo Iudicio, Camerali scilicet vel Aulico, cæteris modò requisitis justè se habentibus, reum conveniendum esse existimaverit. Ubi tamen, quod initio voluntatis est, postmodum introductâ aut cœptâ jam tum lite, in necessitatis leges transit, ut non sit integrum actori vel reo tum variare, & ad aliud iudicium convolare. Præventio enim atque litis pendentia, ejusmodi mutationibus resistit atque impedimento est. De qua materia prolixius egere Carpz. part. 1. Const. 7. def. 26. n. 1. 2. 3. & 4. Mev. 7. Dec. 22. n. 2. & 3. item Klock. in Vor. Camer. Relat. XI. n. 95. 96. 97. & 157. Conf. tit. C. ut lite pend. vel post provinc. aut desin. sentent. ibique Brunnem. ac alii DD.

§. XXII.

*De privi-
legio ele-
ctionis fori
reo con-
cesso.*

Plerumque quidem actori facultatem competere, dixi, ut eligere ex utroque hoc iudicio unum, & ad illud reum vel invitum trahere possit. Verum quandoque vi privilegii, reo competit potestas, sibi ex dictis Tribunalibus aliquod eligere, coram quo conveniri velit; idque contra communem juris dispositionem, quâ arbitrio actoris permissum, vel invitum reum ad forum aliquod, modò

modo hoc competens sit, trahere. Ac tale privilegium impetrarunt Rex Sueciæ *per Instrum. Pac. art. X. §. 12.* Serenissimi Marchiones Brandenburgici, prout Per-Illustris Dn. de Rhetz ex Oldenburg, in certis causis aliquod tale privilegium *de anno 1541. die 23. Julii* retulit; Item Duces Brunsvvicenses. Conf. Dn. Andleri *7prud. lib. 2. tit. 1. P. 2. n. 65. & Dn. Schilter. in Inst. 7. Publ. tom. 1. lib. 4. tit. 8. §. 1.*

§. XXIII.

Quoniam vero maximopere elaborandum, ne contra *Tale privilegium commune concessa beneficia in consequentiam trahantur: hinc Imperator in R. 7. de anno 1654. §. 116. declaravit: Ino künstige mit ertheilung der privilegiorum electionis fori, und anderer dergleichen zc. die nohtturfe Väterlich zu beobachten.*

§. XXIV.

Illud ex superioribus ultro profluere existimo inter *Nulla datur prerogativa in Camera* Camerale atque Aulicum Judicium nullam prerogativam esse, ipsa enim rei natura maximopere dictitat, omnimodam æqualitatem cunctam profligare prerogativam, siquidem impossibile est contraria, æquale scil. & inæquale, eodem loco consistere posse. Jam vero æquali jure ac forte dicta gaudere Tribunalia, illud jam paulo ante demonstratum est.

§. XXV.

Quapropter frustra hac in parte dissentit *Dn. Lyncker Dissentiens in Anal. ad Schwveder. part. spec. Sect. 1. cap. 13. §. 4. ubi Lynckerus sequentia in medium produxit: Prærogativam Judicii Aulici non modo ob amplitudinem majorem Jurisdictionis, quam quidem Camera restrictam, Judicium Aulicum plenam habeat, verum etiam hinc fundatam esse, quoniam Spirensis Camera præcisè ad Processum,*

D 2

,, tam

„ tam per Ordinationem, quam per observantiam Judi-
 „ cii adstringatur. Judicium verò Aulicum, quod pro-
 „ prius Jurisdictionem Cæsaris exerceat, à solennibus &
 „ tractu Processus, liberiores habeat potestatem, sicut
 „ experientia quotidiana testatur.

§. XXVI.

Refutatur. Rationes hæc Judiciò Aulico præferentiam neutiquam
 conciliant. Quod enim amplior illius Jurisdictione sit,
 hoc in genere non concesserim, vel certe exinde potius
 jus Consiliarios Aulicos sibi tribuere posse, illud est quod
 planè abnuo. De Ordinatione Camerali quod affertur,
 verum quidem est, Assessores, ut Cameralis illa Ordi-
 natio præcise observetur, quovis tempore operam dare.
 At & Judiciò Aulico studium hoc incumbit, quo sancita
 Ordinationis Cameralis sequatur, & secundum ista, pro-
 cedendi modum dirigat. Quis etiam indè inferret, Ca-
 merales exactius Ordinationem Cameralem observare,
 ergo inferiores illos esse debere Consiliariis Aulicis, utpote
 multum ab illa deflectentibus; potius ea propter favorem
 merebuntur Camerales, utpote, quibus tam sancta habentur
 Ordinationis Cameralis præcepta, ut ab eis discedere
 piaculum judicent. Imo si quandoque prælaudata Tri-
 bunalia, quantum ad prærogativam hanc, dubiam sibi
 palmam facere possent, tum certè victoria penes Came-
 rales erit, partim propter modo adducta, partim quo-
 que, quod hi pro se jure optimo adferre poterunt, se
 non Imperatorem solum, ceu Aulicum Judicium, verum
 cunctos, quotquot in Imperio sint, Ordines repræsen-
 tare, Conf. O. Cam. part. 1. tit. 3. R. 7. de anno 1531. §.
 ferner 16. ubi de Camera laudatur, quod sit, das ober-
 ste und letzte gericht im Reich / & certè tali titulo non
 posset insigniri Camera, si aliud, quod superius esset,
 daretur

daretur in Imperio Judicium. Ætate quidem fateor, Camerale Aulico cedere, verum inde ad dignitatem ac præstantiam argumentari velle, lubricum maximè & erroneum foret.

§. XXVII.

Tantum de Jurisdictione Cam. in genere, quoad definitionem illius; Consequens est ut videamus, quomplex illa sit. Uti alias Jurisdictio dividi solet, in *voluntariam & contentiosam*, ita hæc in Camera quoque jurisdictionis Cameræ. De *contentiosa*, pleni omnium, quotquot de Jure Cam. scripsere, sunt libri; ast de *voluntaria* Jurisdictione, professa ita opera non egerunt, quibus Processum Cameralem conscribere propositum ac labor fuit. Penuriam igitur & defectum hunc, in sequentibus, quibusdam §§. supplere fas sit.

§. XXVIII.

Voluntariam hanc juris dicendi facultatem, Cameræ De *voluntaria Jurisdictione*.
ralibus competere, indubium est, & complures actus *emancipationum, adoptionum, item tutorum constitutionum*, luculenter comprobant. Conf. *Dn. Lynck. in Anal. ad Schveder. Jus Publ. Part. Spec. Sect. 1. cap. 14. §. 7.* & ex infra dicendis plenius patefcer.

§. XXIX.

Prius verò edifferam de tutorum ac curatorum datione ac confirmatione, & quid circa illam in Camera observetur. Si itaque à supremo hoc Imperii Judicio tutor vel curator constituendus seu etiam confirmandus veniat, tum illud necessarium est, ut pupillus immediate Imperio subfit, tutorum ac curatorum immediate non requiro. Quod ut plenius probem, circa tutores ordine procedam. Primò quod testamentarios at- *De testamentario*.
tinet, si ultima voluntate ordinati sint tutores, tum ut

Camera confirmare ejusmodi tutores possit, saltem pupilli qualitas inspicitur, utrum hic immediatè Imperio subsit, nam extraneum planè & Imperio non subiectum, multò magis mediatum Imperii Civem & quidem invitum hunc à Camera confirmari posse, certissimum reor; nihil certè video quod huic asserto repugnare possit, præprimis cum de Jure Civili quoque clarè satis disponatur, pupillo testamento dari tutorem posse, non attempto sub eademne Jurisdictione cum pupillo habitet an non, vid. *l. quæro 32. in pr. ff. de Testam. tut. l. fin. §. ult. ff. de excusat. tut. l. hæres absens 19. §. 1. ff. de Judic. l. testamento 11. C. de excusat. tutor.* Jam autem contrarium à Juris Civilis hac dispositione in Camera observari debere, ante non credo, quam prægnans mihi allata fuerit diversitatis ratio; interea similiter teneo, Camera optimo jure hunc confirmare posse, quem Pater liberis suis, immediatis tamen, ceu dixi, præpositum esse voluit. De legitimo tutore non aliter sentio, scil. & hunc confirmari posse à Camera, licet Imperio planè non sit subditus, vel saltem mediatum, modo tamen in pupillo requisita adsit immedietas. Ideo vero aliquem excludendum esse à tutela seu cura, quod de foro pupilli seu minoris non sit, illud certè non video, neque hac in re rationem talia persuadentem perspicere possum. Consule omnino *Alexandr. Consil. 161. incip. sup. primo dubio n. 7. lib. 5. Cavalcan. tract. de Tutor. & Curatore, ubi n. 3. ait: tutor legitimus potest esse extraneus & alterius Jurisdictionis & territorii; Joachim Scheplitz in Not. ad Promptuarium Balthas. Klammeri tit. 32. §. 7. n. 2.* Sed quid de dativò tutore pronuntiandum, an & is mediatum Imperii, vel plane extraneus esse poterit. Respondeo, nihil mutando, dari quoque quoscunque pupillo immediato tutores

De legitimo.

De dativo.

tutores

tutores posse, existimo; ut ita & in hoc casu Jus Camera-
 le cum Civili conveniat, nam secundum hoc tutorem,
 qui alterius fori est, à Magistratu dari posse pro certo
 habeo, nihilquicquam obstantibus eis quæ in contrari-
 um afferuntur. Confer *Gloss. ad l. fin. in fin. de Probat.*
 Et quæso, quid causæ est, quare contra communem Ca-
 meræ observantiam heic quid definire velimus. Cui e-
 nim ignota sunt, plurima prælaudati Collegii præjudicia
 atque exempla, quibus evidentissimum redditur, me-
 diatos Imperii Cives, v. g. Cancellarios, Consiliarios
 etiam ignobiles immediatis pupillis tutores & curatores
 constitutos fuisse; Ubi illud tamen circa ejusmodi me-
 diatos observatum fuisse deprehendi, scil. non simplici-
 ter dationem & confirmationem factam, sed hæctenus,
 si foro proprio à mediatis vel extraneis renuntiatum
 fuerit, & hoc prævio desuper fieri debere, quod juris est,
 prout ad supplicam, qua se tutor aut curator confirmari
 vel constitui petit, ejusmodi decernendi formula subse-
 qui solet. Adeo verum istud existimo, ut qui planè se
 à seculari potestate exemptos profitentur, Clerici scilicet
 & Ecclesiastici homines prædicto modo à Camera in tu-
 tores seu Curatores ordinari possint. Sic eos qui Ordinis
 Teutonici dignitate præfulgent, & Clericos atque Pres-
 byteros alios tutelam à Camera acceptasse, prævia prius
 fori renuntiatione compertum habemus. Imo utut Ju-
 dici Laico personæ Ecclesiasticæ se subicere non possint,
 secundum Canonici juris decreta. vid. *cap. si diligenti 12.*
de foro compet. perpetuus tamen summi istius Tribu-
 nalis stylus juri huic prævalet, idque optima ratione,
 cum eo casu Clerici non ratione suarum personarum,
 sed pupilli intuitu in Camera conveniantur. Præjudi-
 cia multa heic citare possem, ni res planè aperta proli-
 xam

xam tractationem respueret. Interea inspicere quis poterit *tom. 5. Sent. Cam. de anno 1580. 29. Augusti fol. 609.* Conferat quoque *Gail. 1. Obs. 37. n. 7. vers. Sexto fallit,* & *Gunther. Thesaur. Practicant. anno 1608. editum pag. 66. seqq.* Illud indubium planè existimo, Cameram tum mediatis quoque pupillis tutores assignare posse, si illi sub Jurisdictione inter duos immediatos litigiosa habitent, prout expressè id constitutum cernitur *in Conc. Ord. Cam. part. 2. tit. 1. §. pen.*

§. XXX.

*Requisita
ad consti-
tutionem
tutorum &
Curatorum
in Camera.*

Manifestum nunc erit, ad id, ut Tutor à Camera constitui possit, nihil amplius requiri, quam pupillorum immediatam; Attamen qui petit se ordinari tutorem à Camera, tria hæc requisita in Supplica observare debet. Primò autem ante omnia pupilli qualitatem, immediatè hunc esse Imperio subiectum, probabit; tum secundò causam docebit, propter quam ad se tutelam spectare existimet, utrum scil. ratione consanguinitatis, vel ultimæ voluntatis, & hoc casu Testamentum simul producendum erit. Terrio Procuratorium insimul producendum, quo mandatum continetur, præstandi juramentum nomine tutoris, in quo tutor de legitima administratione cavere tenetur. Si autem vel unicum horum requisitorum in literis omissum fuerit, tum petita ordinatio seu confirmatio denegatur, adeò ut si mandatum legitimis non constet requisitis, v. g. si cautionem & promissionem de administranda fideliter tutela, atque rem pupilli salvam fore non simul contineat. Ita *anno 1675. die 9. Octobr.* Procurator Schaffer nomine Christianæ Elisabethæ Comitissæ in Nassau, tutelam petens sequens decretum reportavit: *Noch zur zeit abgeschlagen / sondern wofern Supplicant einen verbesser-*
ten

ten gewalt / darin cautio rem pupilli salvam fore einbet-
leibet sey / vorbringen wird / soll darauff ergehen / was
recht ist. *In Cons. 16. Octobr. 1675.* Supplicandi formu-
las, qui hac in parte desiderat, is evolvat *Blum. Sup-
plic. Camer. tit. 14. n. 22. & seqq.* item *Dn. Hoffman. in
Praxi Juris & Processus Cam. tit. 16. n. 21.*

§. XXXI.

Emancipatio species voluntariæ Jurisdictionis est. Ubi *De eman-
tamen præjudicialis hæc occurrit quæstio, an hodiernis cipatione.*
temporibus hæc in usu quoque sit? Olim quidem, post
*Oldendorp. Joh. Haloander in Analyti super Inst. tit. quib.
mod. jus patr. pot. solv. Conrad. Wolff. in Erotem. ad
Inst. eod. tit.* existimarunt, Veteribus & Romanis saltem
emancipationes in usu fuisse, apud Christianos eas non
feri, & ne quidem umbram emancipationis hodie re-
stare. Verùm erroneum istud esse, nemo non nisi in
Germania & patria planè hospes, facili opera perspicit.
Sic Camerale judicium non pauca hac de re, nobis præ-*Usus e-
bet exempla, prout instrumenta desuper à Notariis facta mancipa-
tionis in
Camera.*
comprobant. Cui enim præjudicium illud ignotum est,
quod anno 1587. & quidem die 9. Martii contigit, dum
Comes de Lœvvenstein filios suos coram Camera solen-
niter emancipavit. Ipsa supplicatio, qua emancipatio-
nem hanc impetraret Comes, legitur adhuc inter Blu-
mii Supplicationes *tit. 14. n. 33.* Non magno ita abhinc
tempore, anno scil. 1693. Illustrissimum Comitem de
Wied, filium coram Camera solenniter emancipasse, Ca-
merales mihi retulerunt, quod & à Dn. Hoffmanno,
Procuratore & Advocato Camerae doctissimo, accepi.

§. XXXII.

Quo itaque emancipatio coram Camera expediri pos-
sit, ante omnia illud inspicere debet, utrum personæ, tam
*Requisita
ad eman-
cipatione.*
E eman-

emancipans, quàm illa, quæ emancipatur, immediatè quoque Imperio subsint. Ita vero supplicantes Procuratores literas suas, quibus, ut Principales ad emancipationem admittantur, desiderant, formare debent, 1. Propositum Principalis exponant, scil. ex prægnantibus causis emancipatorum filios esse, & eapropter cum ipsis in civitate præsentem esse; 2. immedietatem illius alleget, & tum 3. petat, ut Principali certum tempus ad actum hunc perficiendum præfigatur. Decretum hac fere formulâ subsequi solet: *Ist dem supplicanten sein begehren zugelassen / und ihm ad actum emancipationis zeit zu 1. uhren nachmittag in der gewöhnlichen audienz zu erscheinen / ihre nohtturfft / und die gebühr zu verrichten / hiemit erkant in Conf. &c.* Præsentibus statuto tempore parente & liberis, hi ex potestate dimittuntur, quo facto confirmatio ac decreti interpositio à Camera petitur; hisce ferè formalibus hoc dari deprehendi: *Ist auf H. N. jetzt beschehene Bitte und begehren / auch seiner anwesenden Söhne Herrn N. N. gethane bewilligung und erbiethung über die fûrgangene emancipation, das richterliche Decret und auctorität interponiret, auch deshalb nohttûrftig uhrkund erkennet.* Vid. *Sentent. Cam. tom. 5. anno 1587. Conf. Gunther. in Thesaur. Practicant. p. m. 72. seq.*

§. XXXIII.

Legitima- Nimis prolixum judico, omnes Jurisdictionis voluntariae actus percurrere velle. Illud tamen addo, *Legitima-* tionem à Camera fieri haud posse; & quidem ex *Legitima-* mera non *Legitima-* potest fieri. hac ratione, quod illa non sit actus Jurisdictionis, sed Majestatis, & reservatum Imperatoris, Vid. *Dn. Lyncker. in Anal. ad Sued. Jus Publ. part. spec. Sect. 1. cap. 14. §. 7.* Afferri quoque posset, Jurisdictionem Camerae, se circa

circa Justitiæ saltem causas extendere, non verò circa
ea, quæ ad gratiæ res & causas referri debent.

§. XXXIV.

Ex hisce jam satis superque judicari poterit, de Juris- *De causis*
dictione Cam. in genere; cum verò non omnes causæ *ad Came-*
ad Camerale forum pertineant, hinc de illis quoque in *ram non*
præsentiarum dispiciendum est; Sunt autem illæ *Crimi-* *pertinen-*
nales, Ecclesiastica, & suo modo Feudales. De singu- *tibus.*
lis, quantum necesse erit, edifferam.

§. XXXV.

Quæ causæ Criminales sint, non difficile puto esse, *De causis*
heic definire; Scilicet quæ poenam corporis afflictivam *Crimina-*
intendunt. Quando igitur quis ad multam Fisco sol- *libus.*
vendam agit, & ita pecuniarium tantum Fisci interesse
persequitur, eo sensu Criminales hæ causæ heic loci non
sumuntur. Conf. *Blum. in Proc. Cam. tit. 63. §. 2. seqq.*
Criminales itaque causas in prædicta significatione in
Camera tractari non posse, expediti juris est. Vid. *Ord.*
Cam. part. 2. tit. 28. §. Item nachdehm auch 2c. 5. qui lo-
cus in Concept. Ord. Cam. est tit. 31. §. 14. & Rec. Imp.
August. de anno 1530. §. Item als etliche zeit 95.

§. XXXVI.

Sed cum allegati textus solùm prohibeant, ne causæ
Criminales per appellationem ad Cameraam deferantur,
hinc anceps inter Doctores enata est quæstio: Quid de *An imme-*
immediatis censendum, utrum hi cessantibus Aulregis *diati pos-*
in Camera non sint criminaliter conveniendi? Mira heic *sint Crimi-*
fese prodit sententiarum diversitas. Petro Friderico *naliter*
Mindano libitum fuit pro affirmativa pugnare, *lib. 1. de* *conveniri*
Process. extrah. cap. 9. n. 1. & seqq. Rationes apud ipsum *in Camera.*
invenio sequentes: i. de non exceptis judicari juxta regu- *Rationes*
lam *l. patre furioso & ibi Ddres ff. de his qui sui vel alieni* *pro Affir-*
E 2 *juris* *mativa.*

juris sunt; nusquam verò reperiri prohibitum, immediatos, quando Austregæ cessant in Criminalibus, coram Camera conveniri; standum itaque regula communi, quæ in causis civilibus solet observari. 2. In *Ord. Cam. part. 2. tit. 28.* appellationem tantum in causis Criminalibus ad Cameraam prohibitum, de prima verò instantia nihilquicquam sancitum Si 3. Comites, Barones, Nobiles immediati, in causa Criminali ab inferioris Ordinis hominibus conveniri non possent in Camera, delicta manerent impunita, contra *l. ita vulneratus ff. ad l. Aquil.* Diversam ab hac amplexus fuit sententiam Ruland. *de Rationes Commis. part. 1. lib. 2. cap. 3.* hisce motus argumentis: 1. *pro negativa.* Cameraam absque mero Imperio de causis Criminalibus judicare non posse. 2. De Stylo Judicii Cameralis nullas ejusmodi causas in Camera tractari, stylum verò ejusmodi pro lege esse. Everhard. *in top. loc. à Stylo.* 3. Quod in specie datum sit, id in genere videri prohibitum. *arg. l. 1. de offic. ejus cui mand. est jurisd.* Cameraæ autem Jurisdictioni crimen, specialiter in eo casu, quo personæ Camerales delinquant, subjici. Vid. *Ord. Cam. part. 1. tit. 50. §. fin.*

§. XXXVII.

Sententia distinguendum. Rursus alii ita opinantur, considerandum heic esse, an Imperii immediatus delictum in alterius territorio perpetraverit, & hoc casu Dominum ejusmodi territorii Judicem futurum, quamvis minoris forte dignitatis & gradus sit; hæc sententia est Rumelini *ad A. B. p. 2. Diff. 1. th. 5. & Myler. in addit. ad eund. loc.* crimen enim Domino illius territorii, in quo commissum, nullo dignitatis habito respectu, Jurisdictionem tribuere. *auth. qua in provinc. C. ubi de Crimin.* si tamen delictum corporalem irroget pœnam, eo casu ligatas esse Principi in territorio

torio manus, & tum ad Imperatorem pertinere cognitionem. Myler. *de Princip. & Stat. Imp. P. 1. c. 20. n. 31. seqq.*

§. XXXVIII.

Hanc verò sententiam prædicto modo distinguentem prorsus rejiciunt Ddres alii, vid. *Dn. Andler. in Jurispr. lib. 1. tit. 10. n. 24.* & hinc alia subnascitur à dictis omnibus diversa opinio, qua judicium de immediatorum causis criminalibus, neque Camera, neque soli Imperatori, verùm Ordinibus Imperii, Imperatori scil. & Statibus assignatur. Sanè antiquissimis temporibus, & jam sub Francorum Imperio, tales causas in Concilio Ordinum Imperii pertractatas fuisse, plurima nobis exempla evincunt, quod Doctissimus *Conring. in Diss. de Judic. Germ. th. 63.* latè comprobavit. Sic Brunehildis Regina decreto Concilii capitis damnata est, & Tassilo Bojariæ Dux, multorum criminum insimulatus, à Concilio judicatus legitur, ex cujus quoque sententia anno 828. Dux Forojulienfis, ignaviæ accusatus, Ducatu pulsus est. Conf. Illustrissimus *Dn. Johannes Guilielmus Comes de Wurmbrand in doctissima dissertatione de Foro S. Imperii Rom. Germ Principum. cap. 2. §. 2. p. 32.* Hanc legibus Imperii maximè quoque conformem esse, multi credunt. Vid. *Pacem Confluentanam tom. 11. Jus Sax. Prov. 3. 55. Jus Alem. Prov. cap. 150. Instr Pac. VWestphal. art. 5. §. 20. vers. quoad. Capitul. Leopold. art. 39. in fin. conf. Dn. Schilt. in Inst. Jur. Publ. tom. 1. lib. 4. tit. 5. §. 3. p. m. 362. seqq. Furstner. de Supremat. cap. 26.-29.*

Causæ tales ab omnibus Imper Ordinibus cognosci debent.

§. XXXIX.

Limitant tamen hæc, ita ut in aliquibus causis cognitio super rebus criminalibus à Camera fieri possit. Scil. *Excipiuntur qui- dam casus*
 1. In crimine fractæ pacis, 2. In criminalibus personarum



ad Came- rum Cameralium. 3. In causis nullitatis Processus. 4. In
 ram per- causa competentiae, si non de crimine puniendo, sed de
 tinentes. Jurisdictione respectu illius causae criminalis quaeratur, *Fri-*
der. lib. 1. de Process. extract. cap. 9. num. 10. nisi forte Au-
 stregae conventionales circa hanc partem aliud quid in-
 ducant, vel talis causa sit, ut prius debeat à Judicibus
 Austregarum Ordinationis judicari: & quae aliae limita-
 tiones à rerum Cameralium Scriptoribus enarrantur. Il-
 lud obiter heic adduco, non levem de causis Crimina-
 libus earumque cognitione inter Cameram & Civitatem
 Spirensis fuisse disceptationem, verum ejusmodi liti-
 gium inter Cameram & Wetzlarienses jam sopitum esse,
 reversalibus desuper datis. Tales reversales heic infe-
 rere non injucundum esset, verum ne praesens tractatio
 dissertationis Academicæ limites excedat, hinc ad alium
 laborem ejusmodi rem transferre licebit; cum in *Insti-*
tutionibus juris Cameralis, quas meditor, similia tra-
 ctare commodior sese offeret occasio.

§. XL.

De causis Ecclesiasticis. Nec Ecclesiasticas causas ad Judicium Camerale per-
 tinere, superius commonui. Pleniorum illud desiderat
 discussionem. Ante omnia verò videndum, quid no-
 mine Ecclesiasticarum causarum veniat, ac quænam con-
 troversiae eò referendæ sint? Sanè communis Scripto-
 rum schola hac in parte certi nihilquicquam, & quod
 ab omni parte beatum esset, tradidit. Qui autem Rei-
 publicæ atque Religionis in ea indolem exactius truti-
 nabit, deprehendet, inter alias muneris partes Principi
 religionis quoque curam incumbere, sed hætenus sal-
 tem, quatenus per eam Reipublicæ tranquillitas vel con-
 servari vel promoveri potest. Nam quod alii autumant,
 etiam ut homini in futura vita bene sit, seu de æterna
 sub-

Quatenus
 Principi
 cura circa
 religionem
 incumbat.

subditorum salute Principis quoque esse providere, illud solidioris Philosophiæ præceptis repugnat, prout alii affatim commonstravere. Vid. *Thomas. im Recht Evangelischer Fürsten p. 33. seqq.* & *Pufend. de habit. Relig.* Finis igitur Reipubl. determinat heic Principis jus circa sacra, quod optimè explicatum est in *Disp. Dn. Brenneys de jure Principis circa Adiaphora*, paucis abhinc annis in *Academia Fridericiana Hale Magdeburgica ventilata.*

§. XLI.

Sed Potestas hæc Principis circa sacra, unde causæ Ec-
 clesiasticæ proveniunt, ex quonam principio deducen-
 da sit, quibusdam non adeo expeditum creditur. Mihi
 illorum aridet sententia, qui istud non ex jure aliquo
 Papali, sed ex superioritatis territorialis Potestate arces-
 sendum esse, existimant. Conf. quæ hac de re opti-
 mè differuit *Dn. Thomafius in Not. ad Monzamban. cap.*
5. §. 12. Vid. quoque omnino *Dn. Joh. Putteri, Cognati*
& Amici mei dilectissimi, Dissertationem de illicita à Prin-
cipibus Protestantibus provocatione in causis Ecclesiasticis:
ubi in §. 15. jus hoc Principum Evangelicorum in Ger-
 mania absolutum planè & independens esse, existi-
 mat: Cujus verba hic transcribere ex dicto §. medio non
 pigebit: „Quamvis itaque, inquit, non negem Prin-
 cipes A. C. territoria sua maxima ex parte cum Rega-
 libus jure feudi ab Imperatore & Imperio possidere;
 licet quoque non pauca jure allodii teneant; Add.
Disp. Dn. Stryckii de Jur. Princip. allodiali; Non etiam
 nego Jus Sacrorum in *Instr. Pac. art. 8.* ad superiori-
 tatis territorialis partem alteram relatam, eique regu-
 lariter cohærere debere: attamen cum ex sola & unica
 superioritate territoriali Principum nostrorum jura non
 deduc-

*De origine
 juris circa
 sacra.*

*Potestas
 hæc Prin-
 cipum est
 independens.*



deducam; (ità enim nobilitati immediatæ, utpote su-
 perioritate destitutæ, non competeret) sed potentia
 eorum, qua jus hoc sibi asseruerunt, & quam Deus
 in omnimodam libertatem invalescere voluit, pacto
 Imperii publico confirmatæ, illud adscribam, argu-
 menta contraria eo minus stringent: Imperator enim,
 qui in hoc negotio tanquam membrum, & pars con-
 sideratur, neque sibi, neque Imperiali Camera sum-
 mum Papale jus & potestatem judicandi in causis Ec-
 clesiasticis subditorum Principis alicujus A. C. refer-
 vavit actu, nec reservare potuit, cum dissidii, Paci-
 ficationis, Instrumento Pacis & omni tempore suo à
 Pontifice Rom. usurpatum & retentum, illud ipse non
 habuerit. Nec de novo illud per d. Instr. Pac. acqui-
 sivit, postquam enim ibi suspensa est Jurisdictio Eccle-
 siastica cum omnibus suis speciebus, & ad terminos
 territorii cujusque restricta, nihil tributum est Impe-
 ratori, & ne verbulo quidem, quod causas ad se Ec-
 clesiasticas trahere dispositum. Sola feudalis qualitas,
 quæ tantum in fide consistit, non involvit necessariò
 subjectum, & sic nec jus extremæ provocationis: Et
 si à sola qualitate feudali deducenda esset libertas hæc,
 non haberent jus sacrorum, neque jus reformandi
 Principes nostri, vid. *art. 5. §. 42.*, cum ex solo fidei
 vinculo, quod inter Dominum & vasallum est, huic
 nullum jus in Religionem nascatur: Et quamvis supe-
 rioritatis territorialis proprium quasi sit jus sacrorum,
 inseparabiliter tamen eidem ità non cohæret, quin
 abesse possit; abfuit enim durante hierarchia Papali,
 & abest hodie à Principibus secularibus Romano-Ca-
 tholicis, ut hinc potius videatur superioritati tum
 temporis pacto superadditum jus sacrorum, quam ex
 ipsa

» ipsa superioritate territoriali, quæ tunc non continebat
 » in se, jus hoc deductum, unde illud quod mediante
 » pacto superadditum non poterit propriè dici competere
 » vi superioritatis, seu vi illius cui superadditum, nec
 » poterit dici summum relativè, sicut superioritas respe-
 » ctu Imperii, sed summum absolutè, quod nullis nisi
 » pactorum, ut ita loquar, LL. subest. Novum itaque
 » non est, posse penes aliquem esse interdum jura ter-
 » ritorialia, ita tamen ut restricta sint quoad jus circa
 » sacra & potestatem reformandi religionem, *Obrecht ad*
 » *7. Pac. art. 5. §. 42.* quamvis pro Domino territorii ejus-
 » que fundata Jurisdictione in omnibus quæ territorii fi-
 » nibus continentur tamdiu præsumatur, donec exemptio
 » legitimè doceatur, *D. Coccej. in Inst. Jur. Publ. cap. 21.*
 » *§. 15. num. 1.* Huc usque cit Dn. Auctor.

§. XLII.

Illud verò jam disquirere operæ pretium videtur, quid juris sit, quando controversia Ecclesiastica inter personas immediatas oritur, & præprimis si illæ Austregis gaudeant, & an ejusmodi lis ad Austregarum Judices pertineat. Equidem *cit. Dn. Puttero* facile est negativam comprobare, dum independentem planè potestatem Principum quoad contraversias Ecclesiasticas asseruit. Sanè à nemine quoad rem aliquam dependens, & præter Deum alium superiorem haud agnoscens, necessum haud habet se hominis alicujus ac Judicis decisioni conformare, sed ipse pro lubitu, independentiæ vi statuere ac decernere poterit; dummodo contra leges divinas tam naturales quam positivas, universales scil. nihilquicquam committatur, quod tamen factumne sit, nec ne, nemo ex ipsa hac independentiæ indole, cognoscere ac determinare valet.

*Quid si
 causa Ec-
 clesiastica
 ipsos im-
 mediatos
 concer-
 nant.*

F

XLIII. Alias



§. XLIII.

Austregarum in-competentia ostenditur.

Alias & sequenti argumento incompetentia Austregarum circa dictas Immediatorum causas Ecclesiasticas evincitur. Scilicet, Privilegia Austregarum in effectu nihil aliud sunt, quam exceptiones à Jurisdictione Camerae, in prima instantia alioquin in personas Imperio immediatè subjectas competente. Jam ipsa Camerae Jurisdictio in spiritualibus non est fundata, ideo nec spirituales causæ inter eas sunt referendæ, quæ ad Austregas pertinere possunt, nam exceptio necessariò esse debet de regula, & de contentis sub eadem.

§. XLIV.

Dissentientes eorumque argumenta adducuntur.

Non desunt tamen, qui calculum affirmativæ addere sententiæ, scilicet tales causas in prima instantia, cognitioni Judicum Austregarum deferendas esse; Doctores numero non pauci, inter quos *Vultejus* in causa illustri quadam præjudicio hanc opinionem comprobavit, item *Mindan. de Process. cap. 10. n. 4. & Ziegler. quoque in comm. Concl. §. Austrege Concluf. 2. n. 2.* Palmarium istorum argumentum in hoc consistit. *In Ord. Cam. part. 2. tit. 4.* primæ instantiæ privilegium Principibus & Statibus immediatis, in genere in quibusvis causis, nullo prorsus habito discrimine concessum, & ideo generalem hanc dispositionem generali quoque intellectu de omnibus causis assumendam esse, Vid. *l. 1. §. cum urbem ff. de offic. pref. urb. l. Julianus ff. de leg. 3.* idque eò magis hoc casu observandum esse, cum verba *in Ord. Cam. cit. loc.* ibi **Warum oder was ursachen das wäre** singularem generalitatis emphasin spirent, geminata enim simplicibus solere esse fortiora *l. 22. C. ad SCt. Vellej. & animum omnino deliberatum & destinatum declarare l. 4. ff. de Fidej. tutor.* Imo in ipso textu *Ord. Cam. p. 2.*

tit. 2.

tit. 2. in pr. manifestè quoque causarum spiritualium injici mentionem, hisce nimirum verbis: **Mit Rechtfer-
tigung Churfürsten / Fürsten / oder Fürstmässigen /
Geistlicher oder Weltlicher um spruch und forderung /
die Ihrer einer zum andern hätte oder gewinne / soll es ic.**

§. XLV.

Quanquam autem ratiocinium hoc non de nihilo sit; *Confutatur.*
tamen Austregarum hac in parte Judicium adstruere
non valet. Nam in Ord. Cam. ea non fuit voluntas
Ordinum Imperii, ut in quibusvis causis Judices Au-
stregarum concessi sint, sicuti multis id instantiis com-
probari posset. Alter verò ex Ord. Cam. textus utpote
de personis tam secularibus quàm Ecclesiasticis accipien-
dus, nihil quicquam in contrarium militat, & verba illius
um spruch und forderung terminis habilibus non verò
controversiis Ecclesiasticis adaptanda sunt. Confer *Reinck.
de Regim. Secul. & Ecclesiast. lib. 3. c. 1. L. X. n. 42. seq.
Conf. omnino cit. Dissert. de foro S. Imperii Romano Ger-
manici Principum cap. 2. Class. 1. §. 3.*

§. XLVI.

Matrimoniales causas in Camera disceptari non posse, *De causis
expediti juris & in Ord. Cam. ut & Concept. ejusdem part. matrimo-
2. tit. 1. §. ult. satis provisum est.* Sed & in hoc passu *nialibus.*
de immediatorum controversiis matrimonialibus non a- *Quid sita-
deo inter Authores convenit, quodnam judicium heic les contro-
pro competente agnoscendum sit. De Protestantium versie in-
ejusmodi causis loquor. Nonnulli Imperatori in hisce ter Imme-
ditibus decisionem adsignant, in quorum opinionem Dn. diatos ipsos
Textor. concessit ad R. 7. Noviss. Dissert. 1. th. 74. Contra oriantur,
verò Ziegler in Comment. Conclus. §. Anstrega concl. 2. & scil. inter
Vultej. ad L. 1. n. 49. in fin. C. ubi Senatores vel Clariss. Protestan-
tales controversias Austregarum decisioni subdunt. Alii tes.*

F 2

rursum

rursum malunt Principes & Status immediatos A. C. coram suis Consiliariis extra Austregatum ordinationem conveniendos esse, cum in Ecclesiasticis & Spiritualibus, propter suspensam Jurisdictionem Pontificiam, superiorem non recognoscant *Reinking. d. l. n. 50. Myler. de Stat. Imp. p. 1. c. 20. n. 19.* Cont. omnino cit. *Dn. Putteri Dissertationem de illicita à Principibus Protestantibus provocat. in caus. Eccles.* Sed inveniuntur tamen, qui & hæc Principum controversias à Judicio Camerali haud exemptas esse contendunt, & vel ex hoc fundamento; Judicium istius Ecclesiasticis juxta ac Secularibus Imperii Principibus & Statibus originem debere, atque adeo ab iis simul Jurisdictionem habere, qui de causis matrimonialibus cognoscendi jus habent. Verum quam lubrico hoc argumentum nitatur fundamento, quivis facile percipiet; hinc in re tam aperta plura proferre supervacaneum esset.

§. XLVII.

*De causis
Feudali-
bus.*

Causæ quoque feudales certa ratione à Jurisdictione Camerali exemptæ sunt. Majora feuda eatenus cognitioni Camerali subsunt, si lis in possessorio summario circa eadem ventiletur. Ordinarium vero possessorium ut & petitorium circa ejusmodi majorum feudorum controversias saltem ab Imperatore & Paribus Curiaë discutiendum venit. Quod si minorum feudorum intuitu controversia sit, tum Camerales judicare poterunt, & Consilarii quoque Aulici, si Camera prævenerint. De feudis Imperii majoribus res non adeo expedita quibusdam creditur, quis pro Judice competente in iis habendus sit; Non infimi subsellii Auctores heic in diversa abeunt. Verum quantum dictam meam attinet sententiam, illa sequentibus fulcitur fundamentis,

*De Feudis
Imperii
majoribus.*

damentis; Primum est singulare Principum Germaniæ
 jus, quod solum Imperatorem absque Paribus Curia in
 ejusmodi causis judicare prohibet. Deinde & Constitu-
 tio hac in parte Ordinibus Imperii seu Paribus Curia fa-
 vet, utpote qua cautum, ut in causis, quæ Principis
 Imperii vitam vel honorem aut feuda concernunt, Im-
 perator in Consilium tam Ecclesiasticos quam Seculares
 Principes, imò etiam Abbates Principali dignitate con-
 spicuos adhibeat. Exstat hæc dispositio in Rec. Imper.
de anno 1466. Et quæso feuda regalia dependentne à
 solo Imperatore? Minime regero, sed à toto Imperio;
 Ergo nec cognitio de iisdem uni Imperatori, sed Pari-
 bus Curia quoque attribuenda erit; Atque hanc ipsius
 olim Imperatoris Friderici III. sententiam fuisse com-
 probari poterit; Ita enim in literis ad Henricum Bava-
 riæ Ducem confessus fuit; *Das Fürsten Sachen für
 den Kayser allein / mit zuziehung der Fürsten genossen/
 nach Fürsten Recht sollen gewiesen werden.* Cur aliam
 sententiam foveremus, cum observantia quoque pro
 illa stet, sic olim Sigismundus Imperator, datis ad
 Concilium Basiliense literis, controversiam de Ele-
 ctoratu inter Henricum Lauenburgicum, & Frideri-
 cum Saxoniam Ducem exortam, & ad Concilium *anno*
1415. delatam, ad forum suum remitti petiit, Parium Cu-
 ria adhibito consensu eam terminaturus: Non aliter
 quoque quam cum consensu ac cognitione Parium Cu-
 ria, dissidium inter Henricum & Albertum Bavariæ Du-
 ces exortum, ab eodem Imperatore Constantiæ com-
 positum legitur. Plura exempla rerum Germanicarum
 Annales nobis hac de re suppeditant, illud quod dixi
 luculenter satis comprobantes. Conf. *Limn. lib. 2. Jur.*
Publ. p. 1. cap. 9. n. 32. seqq. ubi latius hæc persequitur,
 F 3 & con-



& contraria quoque refutat. *Lehman. in Chron. Spir. lib. 2. cap. 9. Schrad. de Feud. pag. 10. Sect. 2. n. 14. Fridberg. ad Burcholdum q. 2. Diss. 20. n. 3. per tot. Inter dissentientes præter alios invenio Reinking. lib. 1. class. 4. cap. 19. per tot. Buxtorf. ad A. B. th. 62. lit. C. & D. Carpz. de lege Regia cap. 9. Sect. 12. n. 27. Stamler de Reserv. Imper. §. 38. sed cum illorum argumentis ab aliis satis superque satisfactum sit, hinc ulterius hisce non esse inhærendum censeo.*

§. XLVIII.

Conclusio.

Et ita me puto Jurisdictionis Cameralis indolem, tibi L. B. aliqua ex parte delineasse. Plura quidem, fateor, in medium produci potuere, de iis præprimis, quæ ad modum fundandi hanc Cameralem Jurisdictionem spectant. Verum in tam spatiosum campum & ultra dissertationis Academicæ finem ac limites excurrere, illicitum existimavi. Quæ interea hac de materia restant, & leviter saltem tractata sunt, ea me prolixius, si Deus vitam & vires concesserit, professà opera contemplaturum esse promitto.

T A N T U M.

COROLLARIA.

I.

Debitor exceptionem pecunie non numerata post biennium, onus probandi in se suscipiens, opponere potest: non potest.

II.

Redditiōe unius, ex pluribus apud creditorem exstantibus

bus Chirographis, obligatio remissa censetur: non censetur.

III.

Ex capite justa ignorantie quis contra usucapionem impletam in integrum restitui potest: non potest.

IV.

Bona fid. possessor etiam naturales fructus suos facit: non facit.

V.

Actio de tigno juncto contra b. f. possessorem in duplum datur: non datur.

VI.

Posita sententia, quod Carolus Magnus Ingelhemii fuerit natus, fuitne tum Germanus an Gallus: utrum libet:

VII.

Rex Bohemiae Status Imperii est: non est.

VIII.

Sub Carolingis an Imperium nostrum fuerit electitium an successivum: problema cito.

IX.

Socialitas genuinum principium juris naturae est: non est.

X.

Polygamia tam muliebris quam virilis juri naturae contrariatur: non contrariatur.

XI.

De jure naturae nulli gradus quoad matrimonium, ne quidem in linea recta sunt prohibiti: imo sunt prohibiti.

XII.

Mulier ex privilegio dotis anteriorem expressam hypothecam habentibus praefertur: non praefertur.

XIII.

Elogium pertinet ad valorem & substantiam testamenti: non pertinet.

XIV. Bona

XIV.

Bona fidei possessor in judicio particulari de fructibus consumptis quatenus est locupletior factus, tenetur: non tenetur.

XV.

Princeps, qua talis, omnibus indistincte legibus est solutus: non est solutus.

In auspicia Academica

Nobilissimi & Præstantissimi Domini,


DN. THEODORI HEN-
RICI SEVERINI,
Indefessi Astrææ Cultoris.

Quæ Musas colit has severiores,
Queis Astræa decus poli dicavit,
Lege Industria proficit severa;
Ast his auspiciis, SEVRINE, nomen,
Dum Summum Themidos doces Tribunal,
Famæ, doctæ, bonæ Tuum sacraasti:
Hinc Te lætus Honos manu beata
Ad clarum Themidos rapit Tribunal;
Æqui Teque cliens frequens Patronum
Sic & Posteritas canet severum!

Votum hoc benevole mentis & manus L. M. Q. consecrat

HENR. CHR. DE HENNIN
D. & P. P.

Dum



ULB Halle
001 596 608

3



V017





